



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae

Diertins, Joseph

Solisbaci, 1708

Meditatio XXXVIII. Ad amorem Spiritualem in nobis excitandum. Myst.
punct. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

MEDITATIO XXXVIII.

Ad amorem Spiritualem in nobis excitandum. Myst. punct. 4.

CONG. Desiderium cognoscendi bonitatem, & perfectiones Dei.

PRÆL. I. Stare in præsentia Dei, & omnium Cœlitum.

PRÆL. II. Petere inflammatum amorem erga Deum.

PUNCTUM I. DONA IN HAC VITA. MEM. Prospiciamus quo pacto munera, & bona omnia cœlitus descendunt: ut sunt, Potentia, justitia, bonitas, scientia, & alia qualibet humana perfectio.

INTEL. Recenseamus perfectiones corporis, & animæ; tam naturales; quam supernaturales; gratias tam actuales, quam habituales: virtutes infusas, dona & fructus Spiritus Sancti, &c. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est; descendens à Patre luminum.* Jacob. 1. Sic Deus communicat nobis sua bona, quod est signum veri amoris in nos. REFL. Iterum si rationis expertes non simus, judicabimus, nos nihil in nobis retinere debere, quod ipsi non restituamus ex reciproco amore.

Vol. Suscipe Domine, &c.

PUNCTUM II. DONA ALTERIUS VITÆ. MEM. Convertamus nunc mentem ad lumen gloriæ, visionem beatificam, & æternam in Cœlo felicitatem, quam *preparavit Deus iis, qui diligunt illum.* 1. Cor. 2.

INTEL. Perpendamus, quod sic Deus seipsum totum, si eum hinc diligam, æternum donare velit. REFL. Non est sanæ mentis, qui tantum amatorem, non toto corde velit redamare.

450 MEDITATIONES IV. HEBDOMADÆ.

VOL. Suscipe Domine, &c. Amorem tui solū cum gratiā tuā mihi dones. & dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco, in præsentē vita; Sed posco, ut post hanc vitam dones mihi visionem tui, ut numquam à te amando cessare possim.

PUNCTUM III. DEUS IPSE IN SE AMABILIS. MEM.
Quælibet perfectio, & bona omnia, quæ Deus communicat tam iis, qui sunt in viâ, quàm qui sunt in Patriâ Cœlesti sunt *terminis quibusdam certis circumscripta*. Nam Deus est *dividens singulis prout vult*. 1. Cor. 12.

INTEL. Ratiocinemur igitur, Deum esse tamquam solem, à quo radii illi luminis emicant, & tamquam thesaurum quemdam immensum, & collectionem sive Oceanum bonorum omnium, respectu cuius omnis creata perfectio, quasi nihil est. **REFL.** Concludamus quod, si aliqua pulchritudo, dulcedo, bonitas, aut quævis alia perfectio creata, nos moveat ad sui amorem, etiam tunc quando illa non se nobis aliter communicat, quàm per simplicem sui aspectum aut cognitionem: quomodo fieri possit, ut immensus omnis perfectionis oceanus, possit cognosci, & non amore ferventissimo amari.

VOL. Suscipe Domine, &c. Amorem tui tantum mihi dones, &c. Nam desidero te amare, jam non quia à te expecto mihi bona quædam communicari; Sed quia tu infinito amore dignus es, etiamsi nihil nobis dares.

COLLOQ. Quibus purissimum, & perfectissimum Dei amorem postulemus.

RECOLLECTIO, REPETITIO, ET ALTERA ETIAM TOTIUS CONTEMPLATIONIS HUIUS.

FINIS HEBDOMADÆ QUARTÆ.